



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Copiae Maxentii in Italia fusae. Cap. XXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

videm, dici non potest, qualia patrandò, subiectos in feruitutem redegerit, adeo vt iam in tanta tamque extrema alimentorum ad vitam necessariorum egestate inopiaque constitueretur, quantam non aliàs Romæ extitisse, homines nostri temporis affirmant.

*Copia Maxentii in Italia fusa.*

CAP. XXXI.

**Q**Vare his rebus omnibus ad misericordiam indutus Constantinus, omni apparatu militari se ad delendam tyrannidem armauit. Atque Deo omnium moderatore sibi patrono antè oculos proposito, & Christo seruatore adiutoreque; inuocato, & salutarì signo, tanquam victoriæ trophæo antè armatos suos & satellites collocato, cum toto exercitu procedit, Romanis libertatem, quam à maioribus accepissent, recuperaturus. Cùm verò Maxentius machinis præstigiariû magis quàm subiectorum beneuolentia confideret, & nullo modo extra portas ciuitatis egredi ausus esset, & omnem locû, agrum, & ciuitatem etiam, quæ ipsius subiiciebatur imperio, ingenti armatorum multitudine, & infinitis copiis muniisset, Imperator Constantinus Dei auxilio nixus, primam, secundam, & tertiam tyranni aciem adortur, & omnibus primo impetu perfacilè subactis, vniuersam propè Italorum peragrat regionem: adeo vt iam quàm proximè Romam aduentaret.

*Maxentii interitus in ponte Tyberis.*

CAP. XXXII.

**D**Einde ne dum tyrannum obsideret, etiam Romanos ipsos oppugnare cogeretur, Deus ipsum tyrannum, tanquam catenis quibusdam ex vrbe extrahit, longoque interuallo à portis constituit, & opera sua iam olim contra impios edita, inque sacris literis, tanquam in tabulis inscripta (quæ quamuis fabulæ loco apud plerosque habeantur, fideque careant, tamè pro certo credantur) reipsa, omnibus, vt comprehendam breui,  
tam